



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Schildi[i] De Caucis**

**Schild, Johannes**

**Lvgd. Batav., 1649**

Cap. I. De religionibus Caucorum. Tripartita gentium Theologia. Mythicae vanitas, indecoris divina fictionibus imminuentis. Politicae imbecillitas, à republica, cui fulcrum ipsa, fulcrum mutantis. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13007**



IOANNIS SCHILDI  
DE  
CAUCIS,

*Nobilissimo Veteris*  
GERMANIÆ POPULO  
LIBER SECVNDVS.

C A P. I.

De religionibus Caucorum. *Tripartita gentium Theologia. Mythica vanitas, indecoris diuina fictionibus imminuentis. Politica imbecillitas, à republica, cui fulcrum ipsa, fulcrum mutuantis. Naturalis aliquantò solidior. Vnicè estimata Varroni, ceteraq; sapientum cohorti. Luna, Sol, Ignis, corporum naturalium splendidissima, Deorum, in Germanis, adepta maiestatem. Ratione ductis eadem, qua vetustissimi ducebantur Ægyptii. Placata Cauco Luna vestigia. Inter agrestes ut plurimum oblitterata indicia reperiri vetustatis. Scriptores exteros in nota sibi nomina vernaculas transfudisse Deum appellationes. Propterea, quòd sacra eorum, ac cerimonias, intelligerent cultui respondere suorum. Sepe populos aliorum id dedisse claritu-*

dini populorum, ut domesticis inderent exotica vocabula Diis. Romanis haud placuisse modò nomina, sed & ipsa numina peregrina. Vt Nehalenniam Zeelandicam. Viracocha, creatoris nomen, Hispanorum Dios mutasse Peruanos. Parvulorum nostratium, Lunam ad exserendas nigras invitantium, lusus Τιβών. Isidis ubera, seu Luna. Causse, qua Caucum ad Lunaris admirationem divinitatis impulere. Communis una, sideris ejus, fulgorem suum condentis, horror. Altera propria, maris exestuatio, casulis formidanda Caucis. Sic, ob Nilum, Isidis aucta reverentia. Quae & Pelagia. Saxonis institutum, Plemmyris, ab Oceani domina Luna dependentibus, annum metientis.



**I**nter recondita gentilitatis, quæ cum interpretibus suis memoriæ se hominum eripuissent, nisi complura Lactantius, Arnobius, Augustinus, æternitati scriptorum suorum inseruissent, haud absurde Theologiæ numeraverim divisionem, quam Terentius quidem Varro in rerum divinarum libris, ad Iulium Cæsarem Pontificem Maximum, perscripserat, ceterum, libris iis interceptis, consummatissimi operis de Civitate Dei liber sextus hodieque repræsentat. Nempe, cum primo generi eorum, quæ aut sciuntur de Diis, aut creduntur, Fabularis, tertio verò Civilis nomen addidisset Theologiæ, medium quoddam inter hæc duo genus interjecit, quod, quia mistam naturæ veneretur

retur divinitatem, Physici placuit appellatione donare. Mythica totiens cœlestes suos pro deridiculis habet, tam atrocibus insurgit in numina contumeliis, ut, nisi symbolicis attemperata sensibus, qualicunque se tegat excusationis velamento, summa rerum elegisse videatur ingenium humanum, in quibus improbè minuendis, quid in vitiis summum esset, experiretur. Politica, quam civitatum æstimavêre fundatores, haud paullò grandiora de Diis sonat, ac percellere mentes civium conatur. Sed & ipsa perquam infirmâ destinâ fulcitur, & cujus ipsa præsidio reperta erat, ab eo vicissim firmitudinem sibi sperat: stante reputcunque se sustentatura, pereunte, paribus cum ea fatis involvenda. Utrique per veterum cuncti memorias aperit sese quod dixi: cum è contrario eæ religiones, quæ in natura rerum sistere cogitationes hominum jussêre, ne nunc quidem, apud damnatas tenebrarum gentes, sint oblitteratæ. Naturalis ista Theologia, cui secundum in partitione sua locum Varro dederat, ut ineptiarum putidis minùs est resperfa, sic humanæ sapientiæ primis unicè se commendavit, utut eos recepti cultus præscriptio, & tempora reip. obtentui sumta, solis ut sibi saperent, induxêre. Tanti eam profectò Varro faciebat, ut patriæ suæ de superis profligatas

tas cuperet opiniones, ac, si ipse, Romuli instar alicujus, aut Pompilii, nascentis reip. sacra constituisset, ex naturæ se potius formula Deos, nominâque Deorum dedicaturum fuisse, in eodem illo rerum divinarum opere fateretur. Quamobrem est unde laudem, si tamen laudem, in publico isti populi repererint errore, qui, ceteris inscitix nocte sepultis, attollere se paullum, atque per exigua gaudere crepusculi luce potuere, id est, qui Fabulares inter ac Politicos orbe distracto Deos, litare naturalibus occæpere. Præsertim, si ex vasta naturalium congerie corporum, ea potissimum divina sunt profecti veneratione, quorum ignorare non licebat ingerentem sese oculis, & sensibus, cœlestem claritatem. Qualia præ ceteris sunt Luna, Sol, & Ignis: quæ Germanis in præcipuo honore fuisse, Cæsar, in Commentariis de bello Gallico, locuples est testis. Et haud de nihilo est ea ratio, quam, cum cultu nostratum, prodidit: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur.* Quamquam hæc assertio, veluti secutura patefacient, ne utiquam veritatem tota propitiam habet. At de vetustissimorum religionibus Ægyptiorum parilia ferme Diodorus Siculus adnotavit, in libro primo Bibliothecæ: Τὰς δὲ ἐν κατ' Αἴγυπτον φασὶ ἀνθρώπους τὸ πάλαιον θεομύθους, ἀναβλέψαντας εἰς τ'

εἰς τὴν ἡρόσμον, καὶ πῶς τὸ ὅλον φύσιν καταπλαχίται καὶ  
 θαυμάσιαι, ἀπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς αἰδίους τε ἔκ πρώτης,  
 τὸν τε Ἥλιον καὶ πῶς Σελήνην. Id est: Antiquissimos  
 ajunt Aegypti incolae, suspicientes in caelum, & non  
 sine stupore naturam universi admiratos, existimasse,  
 se, duos esse Deos sempiternos & primos, Solem &  
 Lunam. Cum popularibus suis Caucos in ejus-  
 dem cultus societatem venisse, multa sunt in-  
 dicio, quae fidem sui ingeniis haud morosis fa-  
 ciant. Sicut enim finitimi Cherusci à Luna  
 Luneburgum suum appellavere: propterea  
 quod pleraeque priscarum gentium, aestimio  
 Deorum dedicatas frequentarent habitationes;  
 ita nostris ab eadem denominata Diva reperias  
 Lunefluvium, & Lunebergen pagum: praeter-  
 rea Haselune, ex Hasio flumine, cui adsitum,  
 & Luna, combinatum: denique Luningen,  
 Lunenti & Loenen, vicorum pagorumve no-  
 mina. Nam vici pagive, ut ab urbana confluge  
 sunt immunes, ita plurimum subinde vetustis-  
 simae retinent antiquitatis. Neque veri specie  
 caret, quemadmodum prisci illi, contentis ur-  
 bium repagulis, rura camposque ad habitan-  
 dum eligebant, ita reliquias eorum, si quae  
 sunt, in ruricolis quam maximè servari. Cum  
 enim vis aliqua major in terras incubuerit, fa-  
 cilè, quocumque Lucius vocat Deus, urbana  
 cum suis abscedit multitudo: at agrorum in-

sessores, quamprimum impetus desævierit calamitatis, spes suas læti revisunt, & acceptas à majoribus possessiones, haud interrupta serie, nepotibus transmittunt. Unde, præter alia, gentiles quoq; locorum designationes, animos eorum atque memoriam pertinaciùs infedêre. Si quis hîc sententiam nostram invadat, eamque minimè se tueri posse contendat, eò quòd Romanâ quidem linguâ siderum infimo Lunæ sit nomen, at nostrate longè diversum, & vix unico elemento consonum priori, ei sic occurrendum censeo: Romanos, quum res exteras stylo propagarent, ea semper vocabula, quæ sua quisque populus invocare numina fuerat, in commentarios transtulisse suos, nemo tam excors erit qui aut sibi, aut aliis persuasum velit. Neque enim ullo credibile fit argumento, cùm primitus in has terras Romana se potentia effunderet, Vulcani, Martis, aut Mercurii nomina vel cognita nostris, vel usurpata fuisse: utut latentem in illis dictionibus vim numinum sint amplexi. Nimirum, si fortè ritus aliquos, à suis haud alienos, intelligerent, vel iisdem rebus impositos Deos, ad quas Roma suos advocabat, aut insuper habitis nativis, aut ignoratis, Romæ audita sæpiuscule eis nomina circumdedêre. Tacitus exsertè, cùm antiquæ religionis lucum apud Naharvalos

valos indicâisset, *sed Deos, inquit, interpretatione Romani Castorem Pollucémque memorant.* Et sub finem quarti Historiarum, cùm de numine, quod dedita superstitionibus Ægyptus ante alia colebat, luculenter verba fecisset, *plurimi, inquit, Ditem patrem, insignibus quæ in ipso manifesta, aut per ambages conjectant.* Atque ea conjectandi libido sæpe monstra peperit errorum. Ex una Plutarchi conjectatione, discas aliorum. Quia stato tempore desiderare sub tabernaculis Ebræos, eaque festis frondibus inunbrare jusserat Deus, itémque *καὶ δῶνας & ποίους* Pontificis voluerat inerrare fimbriis, idcirco, sacris eorum mysteriisque coli ipsum Dionysum temulentissimum Deorum, perquam est ipsi ridiculè existimatum. Gentis igitur nostræ Deorum nomina (nam cò redeundum nobis est) ex ingenio pleraque scriptorum provenire, rarò sic prodita, quomodo vetustissimis temporibus ipsi cultores ea frequentabant. Officere tamen nihil video, quò minùs eos populos, quos aut commercia Quiritis, aut victoriæ, ad propiorem Quiritis invitavêre notitiam, id dedisse bellatoris populi dignationi dicamus, ut avita numina, tractu temporû, Romanis salutarî appellationibus aut præciperent, aut paterentur. Ipsi equidem Romani, qui retinentissimi religionum suarum habebantur,

non



non modò nomina exotica complura toleravê-  
re, sed & sacra nonnunquam exoticis fecêre  
Diis, vel proprio metui, vel gratiæ eorum, qui-  
buscum usu aut armis sociabantur, indulgen-  
tes. Id inter infinita alia, è Walacrorum nuper  
arenariis collibus eruti lapides fatentur, qui  
NEHALENNIÆ, non hercle numini Ro-  
mano, sed Deæ loci, sacros se à militibus Ro-  
manis, præsidium illic agitantibus, ostendunt.  
Et quisquam mirabitur Germanos, quòd, ce-  
teris contagio peregrinitatis afflatis, & ad po-  
tentiorum Deos ultrò concurrentibus, ipsi,  
præter nomen, nihil ex patrio labare cultu su-  
stinuerint? Atqui Peruanos etiam, antequam  
nostri orbis homines cognôssent, Deum crea-  
torem suâ linguâ Viracocham appellitâsse,  
rerum Americanarum tradidêre scriptores:  
iidem, post cognitos armis & consuetudine Hi-  
spanos, non hoc solùm nomine, verum etiam  
Hispanorum Dios utuntur:

— *sacra victoris sui,*

*Vnâque linguam barbarus didicit puer.*

Quæ cum ita sese habeant, haud sanè pœnite-  
re nos debet eorum, quæ de locis, in LVNÆ  
cognomentum adoptatis, diximus, ut sic reve-  
rentiam Deæ altiùs locorum incolis infigerent.  
Quanquam, si quis id requirat, etiam verna-  
culâ linguâ, Cauci Majores pagum Maendorp,  
prope

prope Visurgim, agnoscunt. Hoc quoque, de  
 culta ea nostratibus Dea, ambagiosus aliquis,  
 & captator affulgentis undecunque verifimili-  
 tudinis, autumet afferendum, quod hodiéque  
 parvuli eam nostri, ad papillas revelandas,  
 puerilibus subinde blanditiis sollicitant. Con-  
 stat enim, mulierculas *πυδοτρόφες*, inter fabellas  
 alumnis suis deliniendis excogitatas, haud ra-  
 rò sepultarum reliquias superstitionum, quæ  
 plerumque pertinaciùs sequiori hærent sexui,  
 tenellis sibi commissorum auribus instillare.  
 Sanè & Ægyptiis, autore Plutarcho, eadem  
 Diva *Μῆθ*, id est, *mater*, appellabatur. Et Isi-  
 dem, cujus involuta nomine Luna placabatur  
 Ægyptio, *Τιθῶν*, id est, *nutricem*, idem perhi-  
 bet agnominatam Plutarchus. *Τιθῶν* verò flu-  
 xit ex *νήθ*, quæ vox nihil abit à nostrate, quâ  
 papillas designamus. Neque prætereundum  
 forsitan est, quod de Iside apud Macrobi-  
 um exstat, *continuatibus uberibus corpus Deæ omne den-  
 sari*. Saturnalium lib. i. cap. xx. Quanquam  
 hæc de Iside capi queunt, quatenus ea Terræ  
 simul & Lunæ venerationem, unius involucro  
 nominis, tegebat. Est enim utriusque, & rebus  
 se communicare generandis, & piæ parentis  
 instar, officia nutricandi præstare generatis.  
 Sed hæc paullò longiùs arcessi credimus. Ma-  
 jor euntibus aderit fiducia, si in unam atque al-  
 teram

teram exspatiari causam lubeat, quæ persuadere nostris supremum hujus astri cultum valuit. Duo sunt, quæ corpora naturalia fidem sibi divinitatis inter homines acquisivêre, effectorum nota magnitudo, & eorum, quæ sciri refugerent, admiratio. Inter abdita vulgo, plerisque seculis ea ratio fuit, ob quam Luna nitorem luminis sui conderet: quippe haud satis scienti, temporum orbis implere destinatas vias, Lunamque deficere, cum terram subiens ab adspectu cognati sideris arcetur. Hoc infeliciter ignoratum non barbaris modò, quæ rudis & inconditus sensus est, sed aliis etiam, & tempora & ingenia cultiora sortitis, imposuit. Ut Annalium primo, cum languescere Luna cœpisset, miles Romanus, rationis ignarus, omen id præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulando, prosperè cessura, in quæ pergeret, existimavit, *si fulgor & claritudo Deæ redderetur*. Id adeò, sicuti cunctis Lunæ supplicibus, ita Caucis quoque naturæ excellentioris indidit opinionem: quippe, quam, vultum mortalibus subtrahendo, æternos portendere labores, & averfari facinora sua judicabant. Inter effectus ejus, uti complures orbi salutare sunt experti, ita hunc vel proprium, vel cum paucis sensêre communem, quòd habitationum suarum & peri-

pericula & securitatem illi se quodammodo intelligerent debere. Scriptum enim Plinio est, vasto ibi meatu, bis dierum noctiumque singularum intervallis, effusum in immensum agi Oceanum, ac post casus eorum memoratas, *navigantibus similes dixit, cum integant aqua circumdata, naufragis vero, cum recesserint.* Quare, cum Luna se plenius exserente, mare turgidius observâssent, ut ejus desiderio se ipsum suspendere videretur, precandam sibi imprimis ejus astri clementiam credidêre. Sic honorem Isidis è magno reddidit majorem, quòd Nili incrementa propemodum illuminationibus respondere Lunæ viderentur. Quam, ob maris dominatum, PELAGIÆ quoque titulo cohonestârunt, quem in Inscriptionum legere volumine licet. At parocœanus noster, ad æquinoctiorum *πλημμύρας*, quarum Luna temperatrix, annum quoque suum admirabili digerebat ordinatione. De quo cum cura differit, in secundo de Temporum Emendatione, Josephus Scaliger. Qui pulchritudinem admiratus inventi, ad Oceani *ωξομετώσεις* temporum cursus exigentis, tali signat epilogo dissertationem: *Quare non omnis sapientia penes Chaldaeos & Orientem fuit? Etiam Occidentis aut Septemtrionis homines fuerunt λογιστὴ Ζῶα.*